

Caeterum, addit Platelli, abstrahendo a mente Patrum plane videtur S. Thomam, ut bene ostendit Suarez (1) etiam credidisse Christi qua hominis resurrectionem, quia ad eam persuadendam fiebat apparitio et totus Christi discursus, tum quia quoad hoc fides ejus de Christi humanitate fuit minus laudabilis, quam aliorum, qui ut crederent non expectarunt Christum redivivum videre.

Obj. 3.<sup>o</sup> Actus fidei et actus evidens circa idem habent modos tendendi oppositos et repugnantes; nam primus reddit intellectum obscure videntem et non necessario ad assensum determinatum, secundus e contra redit clare videntem et ad dissensum impotentem. Sed actus hujusmodi nequeunt simul esse. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Habent modos tendendi oppositos respective ad idem objectum materiale propositionis, ita ut non uno eodemque actu idem objectum possit videri et credi; conc. vel trans. Dico transeat quia plures hoc etiam concedunt (2). Respective ad idem subjectum seu intellectum, qui sub diversis motivis formalibus potest ad idem objectum tendere; neg. Id non magis videtur repugnare quam simul esse in intellectu notiones de aliquibus rebus claras, de aliis obscuras. Certe quando intellectus simul de eadem re habet fidem et evidentiam est respectu ejusdem objecti evidens et inevidens seu obscurus, at evidens est absolute, inevidens tantum secundum quid, quia denominatio absoluta inevidentiae cum sit negativa excludit omnem evidentiam ab intellectu ipso, non tantum ab aliquo actu ejus, qualis esset actus fidei simul cum evidentia ejusdem objecti coexistens.

### SCHOLION III.

*An evidentia attestantis possit cum actu fidei componi.*

**Dico:** Licet assensus fidei nunquam possit per se ac formaliter fundari in cognitione evidenti auctoritatis et revelationis divinae, concomitanter tamen potest simul cum ea stare (3).

61. **Nota.** I. Suppono, aliquem non videntem Deum, neque res ab ipso dictas, neque aliter illis assentientem nisi ex testimonio divino, posse evidenter cognoscere Deum esse, qui illas revelat et testatur, ut jam alibi probatum est (4). Exemplum datur in omnium primario Angelo revelationem fidei suscipiente, qui evidenter naturaliter debebat cognoscere eam nonnisi a Deo provenire posse; nam potuit evidenter cognoscere loquutionem illam non fuisse ab aliqua creatura, quia debuisset esse a creatura primo Angelo superiore, erat autem illi evidens non dari creaturam superiorem se; ergo evidenter inferebat loquutionem illam esse a solo Deo. Aliquid simile debuit accidere Btae. Virgini, Apostolis et Prophetis.

(1) De fide D. 3, sect. 9, n. 24.—(2) Vid. Suar. De fide D. 3, sect. 9, nn. 11, 16.—(3) Ex Suario, De fide. D. 3, sect. 8.—(4) Vol. I. Disq. II, nn. 46-51.

quibus de miraculis evidenter et sine ullo deceptionis periculo constabat. Idem esto de animabus purgatorii, quae nondum Deum vident, sed solum in eum credunt et tamen experimento ipso cognoscunt Deum esse, qui testimonium praebet de veritatibus fidei. Ipsi tandem daemones, qui juxta Scripturam (1) credunt et contremiscunt inviti, id non faciunt nisi evidentia signorum coacti.

II. Duobus modis potest ad aliquem pervenire divinum testimonium: primo immediate, v. g. ad Angelum primum, ad Prophetas etc.; secundo mediate sicut pervenit ad fideles et infideles ordinarie per praedicationem. *Quomodo autem* interrogabat Apostolus (2), *audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?... ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Si hoc posteriore modo fit, certum de fide est, et experimento cognitum, non esse necessariam evidentiam divini testimonii; simplices enim fideles, imo omnes sic credentes non habent communiter hanc evidentiam ipsius revelationis, sed solum credibilitatis ejus. Si priori modo fit revelatio Suario (l. c.) videtur probabilius regulariter et de facto Prophetas et alios similes caruisse evidentia supernaturali revelationis, praecipue: a) quia Scriptura (3) dicit eos credidisse non autem vidisse, b) nec videre erat eis necessarium ad res fidei testificandas, sed longe sufficebat ipsa fidei certitudo. De naturali vero evidentia ex miraculis aliisque hausta censet illam habuisse primos fidei susceptores, majorem vel minorem, juxta illorum capacitatem et magnitudinem signorum seu conjecturarum.

III. Difficultas propositae quaestionis ex eo oritur, quod admissa evidenti auctoritatis Dei revelantis, ex ea evidenter infertur id quod revelatur re vera ita esse, quamvis quid sit et quomodo sit, non capiatur: evidens enim est hic discursus: quidquid Deus revelat est evidenter verum. Sed evidenter revelavit se esse praesentem realiter in sacra Eucharistia. Ergo Deum esse realiter praesentem in Eucharistia est evidenter verum. Atqui, subsumo, evidentia actus non est compossibilis cum actu fidei. Ergo evidentia auctoritatis Dei revelantis evacuat fidem. Plures sunt auctorum responsiones: 1.<sup>a</sup> Durandi et aliorum negat minorem subsumptam ut respicit evidentiam objecti formalis; 2.<sup>a</sup> quam tenent Vazquez et Valentia, concedit minorem subsumptam, et negat posse consistere fidem cum evidentia objecti formalis; 3.<sup>a</sup> Cum Suario distinguit, concedit quatenus assensus fidei fundaretur in objecto formali evidenti; negat quatenus actus fidei posset esse concomitanter cum hoc actu evidenti objecti formalis. Ejusdem sententiae sunt Platelli (4), Wirceburgenses (5), et Em. Cardin. Mazella (6).

62. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Verbis D. Thomae eorumque ratione (7): «Veritas prima non est objectum proprium fidei nisi sub hac ratione prout est non apparens: quod patet ex definitione

(1) Jac. II, 19.—(2) Rom. X, 14, 15, 17.—(3) Hebrae, XI.—(4) Synops. de fide, nn. 84, 86.—(5) De fide, n. 210 in resp. ad 4.—(6) De virt. infus. nn. 642-646, 652-653.—(7) De verit. q. 14, a. 3 ad 6.

»Apostoli, ubi proprium objectum fidei ponitur non apparet. »Unde quando veritas prima praesto erit, amittet rationem objecti.» Atqui evidentia auctoritatis Dei revelantis, faceret ut veritas prima praesto esset ad objectum evidenter esse intelligendum. Ergo...

2.<sup>o</sup> Cognitio auctoritatis Dei revelantis potest esse evidens totaliter i. e. cum cognoscitur evidenter et «Deum esse veracem et infallibilem,» et «Deum hoc dicere» v. g. esse Christum praesentem in Eucharistia; vel partialiter cum unum horum tantum, puta «Deum hoc dicere» cognoscitur evidenter. Sed in neutro casu potest assensus fidei resolvi in objectum quodcumque ut evidenter cognitum. Ergo... *Min.* quoad primum prob. Assensus procedens ab illis duabus praemissis esset evidens et ab intrinseco necessarius. Sed assensus fidei nostrae est essentialiter obscurus hoc sensu, quod ex suo formali objecto non possit habere evidentiam ut natura sua sit ab intrinseco liber. Ergo... *Min.* probabitur inferius ubi de obscuritate actus fidei erit sermo; nunc sufficiat indicare, quod si habitus fidei non esset essentialiter determinatus ad actus obscuros et liberos, non esset ratio cur excideret in patria. Subsumo, sed esse essentialiter determinatum habitum fidei ad actus obscuros et liberos solum potest provenire ad objecto formali a quo habitus suam desumit speciem. Ergo... Confirm. Assensus ex illis duabus praemissis evidentibus evidenter elicitus non nititur praecise in solo Dei testimonio, sic ut in ejus gratiam intellectum captivet, sed etiam in ipsa ejus evidentia. Ergo non est fidei cum non fundetur proprie saltem in auctoritate dicentis.

*Minor* prima quoad secundum, si una tantum praemissa sit evidens prob. a) Fides illam partialem evidentiam non requirit; nam quamvis non esset talis evidentia v. g. Dei testificantis, sed sola sufficiens propositio cum evidentia credibilitatis jam posset intellectus elicere assensum fidei in eoque perseverare: ergo non fundatur assensus in illa partiali evidentia *per se* seu *quia evidens*, licet sit evidens. b) Evidentia partialis habetur per discursum extraneum fidei. Ergo si assensus elicere formaliter ex evidenti praemissa, *quia evidens*, assensus non erit fidei. c) Evidentia haec partialis non fundatur in divino testimonio. Ergo non potest fides *per se* in illa fundari, alias ex ea parte non resolveretur ultimo in divinum testimonium, quod tamen fieri debet ex Thes. VI.

Ex quibus deduces cognitionem evidentem solum deservire ad fidem ex generali ratione, qua sufficienter proponit objectum ejus, quod autem evidens sit accidentarium est ad fidem.

II.<sup>a</sup> Pars prob. Fluit ex dictis in Schol. II, n. 59; quia sicut aliquod objectum proponi potest materialiter tum sub lumine fidei, tum sub lumine naturali, ita possunt auctoritas Dei ejusque revelatio sive in se, sive ex signis cognitae, simul per motiva credibilitatis sufficienter cognosci, licet obscure ad prudentem assensum independentem ab evidentia et alio quovis motivo intrinseco imperandum. Sed eo in casu una cum evidentia auctoritatis Dei revelantis seu concomitanter habebitur actus fidei. Ergo...

63. Obj. 1.<sup>o</sup> Assensus evidens et necessarius ex attestante tantum v. g. mysterii Eucharistiae est adhuc: *argumentum non appa-*

*rentium* ut exigit Apostolus: ergo erit assensus fidei. Confirm. Hic assensus non est scientiae, nam neque est scientia intuitiva, neque est scientia *propter quid* seu a priori, neque etiam *quia* seu a posteriori; item non est opinio, quia est certus et infallibilis assensus: ergo non potest esse nisi fides.

Resp. Dist. *antec.* Est adhuc *argumentum non apparentium* materialiter; conc. Formaliter ut exigit fides; neg. Ratio est, quia per particulam *non apparentium*, non solum excluditur visio intuitiva rei creditae, sed etiam scientia et quaevis notitia evidens saltem per ipsam fidem; neque etiam solum excluditur rem creditam esse in se cognitam, sed etiam in effectu, vel in quocumque alio medio evidenter ostendente veritatem propositionis cognitae.

Ad confirm. Quando petitur, cujus virtutis sit ille assensus evidens et necessarius, resp.: 1.<sup>o</sup> Si sit naturalis reduci ad *scientiam quia* acquisitam. 2.<sup>o</sup> Si sit supernaturalis pertinere vel ad lumen propheticum, vel ad quamdam scientiam infusam. Deinde addo tollendam esse aequivocationem et quaestionem de nomine; nam si quis velit illum assensum vocare fidem, quia immediate fundatur in testimonio dicentis, non renuo, dummodo advertat esse assensum specie distinctum ab assensu fidei nostrae infusae, de qua est quaestio.

Obj. 2.<sup>o</sup> Evidentia et inevidentia non sunt aliquid se tenens ex parte objecti cogniti, sed solum quaedam ejus conditio seu proportio vel dispropertio cum lumine naturali intellectus nostri, quo *ex accidenti* determinatur vel non necessario ad assensum. Sed quae non se tenent ex parte objecti cogniti, et solum sunt conditio illud non modificant. Ergo...

Resp. Conc. *maj.* Dist. *min.* Non modificant in se seu intrinsece; conc. Extrinsece respective et in vi movendi ad assensum; neg. Non enim ea solum actus nostros specificant, quae directe cognoscuntur; sed etiam conditiones illae objecti, quae ita illud modificant, ut ei tribuant vim movendi valde diversam et consequenter causandi in actibus magnam diversitatem proprietatum et modorum tendendi, ut faciunt evidentia, quae visa intellectum necessitant ad assensum excludentem omnem formidinem etiam imprudentem et involuntariam; et inevidentia, quae ex se formidines gignit et ab assensu ita retardat, ut vi medii inevidentis non sequatur, nisi accedente imperio voluntatis (1).

(1) Ad factum, quod attinet, aliqui admittunt evidentiam in attestante saltem pro sapientioribus; alii negant communiter, et fere pro omnibus Lugo. D. 2. De fide; nn. 7, 8, 22, 24, 39.

## ARTICULUS III.

## De natura actus fidei.

## THESIS VIII.

Deum mentiri ita repugnat, ut nunquam nec de potentia absoluta possit falsum revelare; unde actus fidei falsus seu non innixus vera revelatione repugnat.

64. *Nota.* Prima pars, quae est fundamentum posterioris est: 1.º Contra priscillianistas, qui docuerunt Deum in Scripturis saepe mentitum fuisse. 2.º Contra unum vel alterum catholicorum, qui de potentia absoluta Deum mentiri posse admisit. Si de potentia ordinaria solum agitur est haec pars de fide, si de potentia absoluta post Vaticanum videtur dicenda de doctrina catholica, cum de Deo praedicet (1): «qui nec falli, nec fallere potest.» Secunda pars ita est communitati theologorum certa ut plurimi contrarium asserere putent temerarium esse.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.º Sac. Scripturae eloquiis: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur* (2). *Est autem Deus verax, omnis homo mendax* (3). *Vitam aeternam promisit qui non mentitur Deus* (4). Ubi emphatico loquendi modo impossibilitas Dei mentiendi asseritur; Deus enim opponitur homini non quoad actum secundum mentiendi, cum constet aliquos sanctos B. Virginem, S. Josephum... numquam fuisse mentitos, sed quoad ipsam possibilitatem mendacii, quatenus haec ex ipsa naturae defectibilitate provenire potest. Si enim in aliqua hypothese liberum esset Deo mentiri, Deus esset ut homo mendax, esto de facto nunquam mentiretur. Ideo solum de verbo Dei praedicat Scriptura: *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet; negare se ipsum non potest* (5). *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (6).

2.º SS. Patres idem clare tradunt: S. Ambrosius (7): «Impossibile est mentiri Deum.» S. Augustinus (8): «Si velint invenire quod omnipotens non potest, ego dicam, mentiri non potest.»

(1) *Const. de fide*, cap. 3.—(2) Num. XXIII, 19.—(3) Rom. III, 4.—(4) Tit. I, 2.—(5) II.<sup>a</sup> Tim. II, 11, 13.—(6) Matth. XXIV, 35.—(7) Epist. 37.—(8) *De civit. Dei*. L. 22, c. 25.

3.º Rationibus: a) Mendacium est aliquid imperfectum, minime decens et intrinsece malum; cum ipsum debitum intellectualium entium ordinem perturbet et subvertat. Sed in Deo nihil esse potest imperfectum, et multo minus aliquid intrinsece malum. Ergo. b) Veracitas est perfectio simpliciter simplex, quae proinde majori, quo excogitari possit, gradu, Deo tribuenda est. Sed perfectior gradus, imo summus veracitatis est non posse unquam mentiri. Ergo... c) Si Deus vel de absoluta solum potentia mentiri posset: «omnis omnino, ait S. Augustinus (1), disciplina fidei subvertetur;» nam de ipsa asseveratione, qua Deus testetur se nunquam mendacem futurum, dubitari poterit ne tunc sua absoluta mentiendi potentiâ utatur. «Quomodo, pergunt Augustinus, (l. c.) credendum est illi, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte tunc mentiatur cum praecipit ut credamus?»

65. Ex quo sequitur: Deum nunquam posse falsum revelare. Etenim Deus est infinite sapiens, si igitur quidquam falso revelaret id non nisi sciens et volens faceret, quod esset aperte facere illud, quod Omnipotens non potest nempe mentiri.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.º Ex Tridentino (2) docente, quemlibet posse de sua gratia formidare: «cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.»

2.º Objectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis. Sed Deus revelans essentialiter, ut probatum est in prima parte, non nisi quod est infallibiliter verum revelare potest. Ergo fides non nisi de re infallibiliter vera esse potest.

3.º Confirm. a) Fides est virtus intellectualis, quae proinde non nisi actus veros eliciendo potest intellectum perficere. b) Est virtus infusa, quoad substantiam supernaturalis, intellectum hominis supra suam naturam perficiens. Atqui non perficeret, sed deturparet si posset esse erroris causa. Ergo... c) Virtutes infusae a Deo immittuntur; sed Deum dedecet, imo ut verius docent theologi (3) ei repugnat infundere sive actum, sive habitum, qui eos recipientem fallant; est enim quidam mentiendi modus, si non formaliter

(1) *De mendacio*, c. 8.—(2) Sess. 6, cap. 9.—(3) Aliqui de errore speculativo et pure physico, id non concedunt, ut Ripalda, quem vide ubi de fide D. 4, sect. 4, Platelli, qui ejusdem est sententiae, eam ita enuntiat: «Posse Deum actum erroris sic infundere (v. g. solem esse magnitudinis bipedalis), ut per illum homo tantum assentiatur objecto falso, non iudicando Deum ita sentire, idque per illum actum sibi significare, ut contingeret, si iste actus ita infunderetur, ut nullo modo adverteretur esse a Deo.» Synop. De fide, n. 45. Ex qua expositione liceat interrogare: qui pruritus dicendi possibilem infusionem actus, cujus Deum esse auctorem abscondi et nesciri debet?

aequivalenter. Sed summae Dei veracitati repugnat omne mendacium. Ergo...

66. Obj. 1.<sup>o</sup> In sacra Scriptura aliquae dicuntur a Deo factae revelationes et promissiones, quae effectu caruerunt. v. g. apud Isaiam (1) de Ezechia: *morieris tu et non vives*; et in Jona (2) de Ninive: *adhuc quadraginta dies, et Nivive subvertetur*.

Resp. Dist. *antec.* Quae effectu caruerunt, quia erant conditionatae; conc. Quae essent absolutae; neg. Etenim mors Ezechiae et subversio Ninive erant futurae, si non interfuisset oratio et poenitentia.

Obj. 2.<sup>o</sup> Etiam in sacra Scriptura habetur: a) Deum aliquando homines decipere (3). b) Plura narrantur dicta et facta virorum piorum V. T. quae a mendacio excusari posse non videntur (4).

Resp. ad a): habetur Deum homines decipere; formaliter; neg. Permissive et occasionaliter, non impediendo ne errent; conc.

Ad b) dico in genere; illa dicta et facta, quae videntur mendacia et forte fuerunt, narrantur et approbantur; neg. Et non approbantur; conc. Si expresse non reprobantur vel est quia in bono aliquo et vero sensu accipi possunt, ut cum Jacob dixit: *Ego sum primogenitus tuus Esau* i. e. jure ei suffectus; vel quia materialiter tantum peccarunt (5). Quid horum ad singula, quae objiciuntur, respondendum sit ab interpretibus sacrae Scripturae petendum est.

Obj. 3.<sup>o</sup> Ante Christi nativitatem erat vera, et poterat fidei credi haec propositio: «Christus nascetur.» Sed si quis, ut videtur fieri posse, perseveraret in illo actu post natum Christum, actus fidei evaderet falsus. Ergo...

Resp. Cum D. Thoma (6): Conc. *maj.* dist. *min.* Actus fidei evaderet falsus, si  $\rightarrow$  nascetur sumeretur restricte ad tempus determinate futurum; conc. Si praecisive et indeterminate ad aliquod tempus; neg. Propositio: «Christus nascetur» duos sensus potest habere; unus est restrictus includens hanc negativam: «Christus nondum est natus.» quo sensu numquam fuit revelatum: «Christus nascetur,» nam illa negativa non erat revelata, et poterat iudicium illud mutari de vero in falsum per objecti mutationem. Alter sensus est praecisivus a tempore determinato, ita ut solum significet, Christum aliquando esse venturum sive tempus veniendi esset impletum, sive non, quo sensu objecta propositio credi poterat per fidem et veritas assensus non peribat etiam post Christum natum.

Obj. 4.<sup>o</sup> Si uni praemissae, quae sit de fide adjungatur altera

(1) XXXVIII, 1.—(2) III, 4.—(3) Tob. V, 18, *Thessalon*, II.<sup>a</sup> II, 10.—(4) Gen. XXVII; Jud. X, 11, etc.—(5) Vid. Wirceburg. de fide nn. 194, 195. Tirin. antilog. indic. 4.—(6) I, Q. I, a. 3, ad 3.

praemissa naturalis falsa, assensus conclusionis erit falsus. Sed iste assensus falsus partim saltem causabitur ex fide. Ergo...

Resp. Dist. *min.* Causabitur ex fide ut habitus; neg. Ut actus, subdist. Causabitur ex fide, qua falsus; neg. Qua illatus, sicut ex propositione naturaliter vera; conc. Habitus fidei solum elicit assensum verum praemissae fidei respondentem, ad assensum mediatum conclusionis non concurrat nisi remote et per accidens; et quamvis actus concurrat ad assensum falsum conclusionis, non tamen qua falsum seu ad falsitatem ejus, sicut Deus concurrat ad actum, qui est peccatum non vero ad malitiam; falsitas tota est ex alia praemissa: hoc modo contingit assensum superioris ordinis fidei posse concurrere ad assensum inferiorem, quia potest esse causa quasi aequivoca et universalis, quae per inferiorem determinatur. Sicut etiam actus scientiae potest ad actum falsum concurrere propter concausam deficientem, in quam reducitur semper defectus, qui in effectu ipso conspicitur.

Obj. 5.<sup>o</sup> Parochus eadem credibili auctoritate potest rustico proponere unum articulum fidei verum et simul alterum falsum. Sed eo in casu eadem conscientiae obligatione, eadem pia voluntatis affectione tenebitur rusticus falsum sicut et verum articulum credere. Ergo... *Min.* prob. Quia ille rusticus non minus erit haereticus negans articulum falsum quam verum.

Resp. Non una est auctorum solutio (1), melior probabilis est ea, quae concessis *majori et minori* negat *consequentiam*, i. e. tunc habitum fidei elicere illum assensum falsum; iste oritur mere naturaliter ab intellectu ex pio imperio voluntatis bene affectae ad objectum formale fidei in genere, ad credendum nempe quidquid proponatur tamquam vere a Deo revelatum, quamvis forte non sit, sicut a voluntate bene affecta ad colendum Deum imperatur genuflexio; quae nihil habet supernaturalitatis. Nec ea, quae in *minori* ejusque ratione congeruntur de eadem obligatione, pia affectione, eodem in foro conscientiae haeresis crimine, huic solutioni obstant; etenim rusticus negans articulum falsum «non peccaret praecise ratione dissensus, sed ratione actus tam voluntatis quam intellectus ei adjuncti, quo formaliter aut virtualiter Dei, aut Ecclesiae auctoritatem sufficienter propositam respueret,» ad quod, ut patet, non requiritur vera revelatio sed sufficit putata. Ex opposito ipse rusticus «conscientiensi articulo falso non crederet fidei supernaturali, quia licet rusticus eadem pia et supernaturali motione voluntatis imperet sibi eundem, aut similem et aequae certum fidei assensum circa falsum quam verum articulum, id tamen solum facit fide *entitati-*

(1) Vid. Suar. De fide D. 3, sect. 13. Ripalda, de fide. D. 10, nn. 10-34.

»*ve naturali*, solum certa secundum quid; nempe quoad firmam adhaesionem ortam ex imperio voluntatis; non vero quoad infallibilem connexionem cum veritate objecti ortam ex modo tendendi »per medium infallibiliter connexum cum veritate objecti materialis (1).»

Obj. 6.<sup>o</sup> Virtus infusa moralis producit suum actum etiam circa objectum, quod non realiter, sed solum aestimative participat rationem sui objecti formalis v. g. dando eleemosynam ficto pauperi: ergo similiter fides infusa potest producere verum assensum fidei virtutis circa objectum solum aestimative revelatum.

Resp. Neg. paritatem et *conseq.* Actus voluntatis non accipit suam bonitatem moralem ab objecto ut est a parte rei; sed ut subest intellectui per prudens iudicium, quod est regula immediata ejus honestatis: actus vero intellectus accipit rectitudinem sibi propriam ex eo quod adipiscatur veritatem, quae ab objecto ut est a parte rei pendet; enuntiat enim de objecto ut est realiter, ideo ut sit verus, illi debet conformari, non ut objective est in mente, sed ut re ipsa existit a parte rei. Hinc etiam actus prudentiae infusae non potest esse falsus, nam dives, qui dirigente prudentia dat eleemosynam ficto pauperi, non fallitur in iudicio practico proprio prudentiae: «hic et nunc honestum est dare eleemosynam huic homini, qui apparet pauper.» quod verum est; sed in speculativo: «hic homo est pauper.» quod falsum est, sed ad prudentiam non pertinet (2).

Obj. 7.<sup>o</sup> Error est solum malum physicum. Sed Deus potest per se facere et intendere mala physica. Ergo poterit intendere et infundere errorem.

Resp. Dist. *Maj.* Est solum malum physicum respectu decepti; trans. Respectu scienter decipientis, in errorem inducentis; neg.; *Min.* pariter dist. Deus potest per se facere mala physica, si in illorum effectione nulla est imperfectio; conc. Si est, ut hic esset, sive formaliter sive aequivalenter, mendacium; neg.

Obj. 8.<sup>o</sup> a) Deus potest conservare in mente alicujus hominis iudicium: «Petrus currit.» cum jam Petrus non currit, seu est falsum. Ergo et illud infundere poterit. b) Potest etiam destruere substantiam panis ejusque accidentia realiter conservare, quin revelet se substantiam panis destruxisse; quo in casu homo falso iudicaret ibi esse substantiam panis. Sed hujus falsi iudicii Deus, ut causa per se existentiae accidentium sine substantia panis, esset causa per se. Ergo non repugnat, etc.

(1) Ex Platelli. Synops. De fide, n. 47.—(2) Vid. Lugo de fide, d. 4. nn. 85-101.

Resp. ad a) Conc. totum; neg. *conseq.* Deus conservando illud iudicium: «Petrus currit.» naturaliter productum a creatura naturaliter in eo perseverante, non est ipse autor, cui tamquam a se dictum possit imputari illud iudicium; contrarium accidit si ipse immediate et per se infundat illud iudicium, tunc enim si non formaliter, aequivalenter falsum loquitur.

Ad b) Conc. *maj.* neg. illationem *min.* Quia ut aliqua causa sit vere per se alicujus effectus, requiritur ut hic aliquo modo a causa intendatur; jam vero cum Deus, in casu proposito destrueret substantiam panis ejusque accidentia conservaret, solum intenderet et exerceret supremum suum dominium; deceptio hominis mere per accidens et solum permissive sequeretur; sed si ipse immediate infunderet errorem soli ipsi tribuenda esset deceptio, non secus ac illi, qui alteri scienter loquitur falsa.

Obj. 9.<sup>o</sup> Potest Deus infundere cognitionem objectum prohibitum repraesentantem atque ad illud inclinantem: ergo poterit et habitum erroneum infundere. *Conseq.* prob. Nam sicut cognitio inclinans ad objectum prohibitum non est causa mali consensus; si forte hic eam sequitur; ita habitus inclinans ad errorem non erit causa falsi assensus, cum hic possit vitari et forte vitabitur ab actibus intellectus.

Resp. Dist. *antec.* Potest Deus infundere cognitionem inclinantem ad objectum prohibitum si per se ad bonum, ad malum solum per accidens, inclinaret; conc. Aliter; neg. Rationis additae neg. paritatem, nam esto, falsum assensum absolute vitari posse, adhuc haberemus Deum per habitum erroneum immediate et per se positive inclinare ad errorem, quod quantum summam Veritatem deceat, ipsa oppositio terminorum erroris et veritatis, quam summam in Deo concipere debemus, satis declarat. Sicut infinitam Dei sanctitatem non decet eique repugnat inducere per se gravem tentationem, quamvis possibile sit ei non consentire, quia gravis tentatio per se inclinatur ad malum; ita summae veritati repugnat infundere habitum erroneum, qui per se inclinatur ad errorem eumque habentem saepe saepius fallit.

#### THESIS IX.

Actus fidei est absolute certus, immo simpliciter certior quovis assensu naturali.

67. Nota. I. Certitudo est infallibilitas et firmitas assensus asserentis intellectum de veritate objecti; duo includit infallibilem conformitatem cum objecto, et firmam adhaesionem ad objectum, ipsi assensui ita intrinsecam ut excludat omnem actualem dubitationem de opposito. In evidentibus haec firma adhaesio ex ipsa

objecti evidentia a mente percepta necessario consurgit, et non solum excludit formidinem actualem errandi, sed etiam potentiam formidandi. In obscuris vero oritur saltem ex parte a prudenti imperio voluntatis, quae circa objectum aliquo modo propositum ut verum seipsam et intellectum ad assensum firmum ita determinat ut non sinat intellectum contrarias rationes considerare, illisve moveri. Est igitur hujusmodi adhaesio libera, ac proinde solum excludit formidinem actualem, non potentiam physicam antecedentem ad formidandum. Si adhaesio imperetur ex levi motivo non habetur certitudo, sed pertinacia qualis cernitur in haereticis relate ad articulos falsos.

II. Certitudo admittit magis et minus, tum ex parte infallibilitatis, quatenus potest oriri ex pluribus ac infallibilioribus principiis, quo sensu logici eam dividunt in metaphysicam, physicam et moralem; tum ex parte adhaesionis quatenus dari potest una major altera, non solum intensive (ratione majoris vel minoris impetus, quo mens adhaeret objecto proposito), sed etiam substantialiter et appetitative, quatenus veritas proposita tali assensu digna iudicatur, quo virtualiter saltem affirmamus, alias potius esse negandas veritates, (si id fieri posset) quae illi assensui repugnare viderentur, quam illum retractare. Talis est certitudo fidei, quae non admittit deliberatam dubitationem in intellectu etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo satisfacere nesciat, nisi ad ipsam fidem confugiendo. Prima theseos pars est certa et catholica, imo de fide videtur post Vaticanum definiens (1): «Si quis dixerit, »parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem uni- »ce veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam »habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susce- »perunt, assensu suspensio in dubium vocandi, donec demonstratio- »nem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; »anathema sit.» Quoad secundam partem est juxta Lugonem (2) communissima et verissima theologorum sententia.

68. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex conciliis: Tridentino (3) asseverante certitudini fidei non posse «subesse falsum;» sola fide posse aliquem scire «infallibili certitudine» «se certo habiturum» perseverantiae donum: Vaticano ut in not. II et ex cap. 3 ubi docet (4): «Quum... ratio creata increatae veritati penitus subjecta »sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide »praestare tenemur.» Sed non esset plenum obsequium si assensus fidei non esset summe certus, nec posset concilium infra fidenter

(1) Const. Dei Filius can. de fide, 6. — (2) De fide, d. 6, n. 34. — (3) Sess. 6, cap. 9, can. 16. — (4) Const. de fid. cathol.

asserere: «illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio suscep- »runt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi. »aut in dubium fidem eandem revocandi.» Ergo assensus seu actus fidei absolute certus dicendus est.

2.<sup>o</sup> Ex Scriptura et Patribus pro secunda parte adducendis.

3.<sup>o</sup> Actus fidei habet absolutam infallibilitatem et firmissimam adhaesionem. Ergo... *Antec.* prob. quoad primum, quia ex dictis, objectum formale fidei est prima veritas, quae non nisi verum dicere potest. Sed actus fidei non potest ferri extra suum objectum. Ergo non potest esse nisi verus, quia veritas consistit in conformatione ad objectum. *Antec.* prob. quoad secundum, quia fidelis ita credit ratione objecti formalis res fidei, ut nullum timeat periculum falsitatis; omnis enim dubitatio deliberata circa res fidei destruit fidem: ergo assensus fidei datur cum certitudine adhaesionis. *Antec.* prob. Fidelis credit juxta dignitatem objecti formalis prudentissime. Sed ita credere importat credere firmissime, omni deliberato excluso dubio. Ergo... *Min.* patet, quia prima veritas nec falli, nec fallere potest; quod vero ita credatur prudentissime constat ex motivis credibilitatis fidei (1), et potest a posteriori confirmari, quia est actus supernaturalis et divinus, ad quem Deus specialiter movet: est ergo in actu fidei perfecta et propriissima certitudo.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Verbis Apostoli dicentis: *In captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2). *Sermo meus et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (3). *Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (4). Et principis Apostolorum S. Petri (5): *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Sed in his edicitur: fidem esse lucernam lucentem in caliginoso loco scientiarum mundanarum, non esse sapientiam humanam sed virtutem Dei, superare ipsum testimonium Angelorum et Apostolorum: ergo...

2.<sup>o</sup> Ex Patribus S. Basilius (6): «Fides est assensus non »haesitans de his, quae audita sunt, certitudine summae veritatis.» S. Joannes Chrisost. (7): «Neque fides dici potest, nisi »cum circa ea, quae non videntur amplius quam circa ea, quae vi- »dentur certitudinem quis habuerit.» S. Augustinus (8):

(1) Vol. I. Disquis. II, cc. II-IV. — (2) II.<sup>a</sup> Cor. X, 5. — (3) I.<sup>a</sup> Cor. II, 4; 5. — (4) Gal. I, 8. — (5) II.<sup>a</sup> I, 19. — (6) De confessione fidei. — (7) Homil. 21 in Hebrae. — (8) L. 7. Confess. c. 10.